



425

provisi in monte Syon, habentes quietum [locum] in civitate, et bene munitum altis muris et ferreis ostiis, ut patet fol. 97. A. His tamen non obstantibus persaepe sunt in magnis periculis propter importunas infidelium invasiones, etiam nocturno tempore. Et nisi essent viri fortes, dudum montem Syon dereliquissent propter periculosas invasiones illorum canum. Ideo non erat possibile, fratres Praedicatores in loco extra urbem et non munitum permanere, non obstante emtione et admissione Soldani, de quo non curant infideles etc. Repulsis ergo fratribus a loco Sarraceni ecclesiam et alia aedificia a fundamentis eruentes dejecerunt, demto aedificio sepulturae, quod hodie stat.

Post Praedicatores quidam graeci monachi, Calogeri, ibi habitaverunt, sed eadem necessitate compulsi locum dereliquerunt, et sunt pauci anni elapsi; reperi enim in antris et latibulis signa, per quae notare potui, ibi brevi tempore habitasse homines. Ad hunc locum multotiens descendi a monte Syon, et supra agrum sanctum horas meas legi, et optavi omnibus votis, si possibile foret (163 A) ibi inter fratres vitam finire, et ibi sepeliri. Unde in hoc loco sepulturam elegi, et petivi fratres montis Syon, si contingeret me mori in Jerusalem, quod me non in alio loco sepelirent, nisi in agro illo sancto, et corpus meum per foramina injicerent. Dico pro certo, quod caeteris paribus potius vellem ibi Conventum habere, quam in monte Syon; quia fratres possent ibi hortos plantare, vineta et ficeta, et est locus amoenus, habens respectum ad montem Syon, et ad vallem Siloe, et de fonte Siloe haberent aquas, quae prope est, et respicit etiam vallem Josaphat, et montem Oliveti etc.

De hoc agro dicunt pro certo, quod corpora defunctorum immissa statim in triduo incinerantur, et nil nisi ossa arida manent. Sic etiam dicunt de agro sancto, qui est Romae ad S. Petrum, ad quem terra deducta est hinc per mare, et agro illo superfusa. Sed et Pisani, dum dominantur in Syria, de hoc agro terram sumserunt, et implentes naves, Pisamque ducentes sepulturam pretiosissimam fecerunt pro magnatibus terrae. In his ergo tribus coemeteriis corpora in

440

438

444

434

449

429

489

389

339

Ende

Anfang